

**1983-03-18 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Paucis Sicut’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***PAUCIS SICUT***

**IN DIOECESI SEGOBRICENSES-CASTELLIONENSI SANCTUARIUM  
BEATAE MARIAE VIRGINIS «DE LLEDÓ» SEU «DE LIDÓN» APPELLATAE  
AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR**

Ad perpetuam rei momoriam. – Paucis sicut abhinc annis tantopere placuit Paulo VI, decessori Nostro bo.me., iustissima de causa extollere dioecesis Segobricensis-Castellionensis patronam Beatam Mariam Virginem «de Lledó» sex completis saeculis ab incepto ibidem eius cultu, ita pariter Nos iuvat hoc tempore dilectae eidem communitati ecclesiiali novum ac praestabile quidem decus concedere sub eodem Beatissimae Virginis Mariae paeclaro titulo. Pro explorato habetur in tali dioecesi vetustum, idemque super vetustioris ruinas aedificatum, sanctuarium extare eiusdem B. M. V. sub memorato titulo «de Lledó» (hispanice «de Lidón») fidenter cultae iam inde ab ineunte saec. XIV, ut etiam scripto est traditum, atque haud dubie magno in honore habitum. Sed, quod plus interest, eo nomine appellatam B.M.V. Christifideles illius regionis tanquam praecipuam apud Deum patronam venerari hucusque consueverunt eandemque peculiarium ab unico hominum Servatore Christo Iesu impetrandarum gratiarum conciliatricem invocare pergunter. Neque ullum est dubium quin eiusmodi sacra aedes tantaeque patronae imago ibi asservita valde conferant per providam sollertemque industriam tum sacerdotum eidem templo addictorum tum ipsorum sodalium aliorumque adiutorum non solum ad catholicam multorum fidem alendam christianamque inter eos caritatem fovendam sed etiam maioremque in modum ad pietatem erga dulcissimam Redemptoris Matrem in tuto semper servandam magisque in dies prospere augendam. Quibus consideratis, Nos, qui pro munere Nostro consilia capimus necnon propositi participamus, quibus verge dominici gregis utilitati prospiciatur, concedendum esse putamus precibus venerabilis Fratris Iosephi Mariae Cases Deordal, Episcopi et pastoris Segobricensis-Castellionensis, qui iam pridem, sua simul suique cleri ac populi expromens vota, poposcit ut nominatum sanctuarium praestabili insigniretur Basilicae Minoris titulo. Hac igitur de causa, ratam habentes relatam Nobis sententiam Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, cui res delata erat, vi et potestate Nostra Apostolica per has Litteras perpetuumque in modum sacram aedem, quam diximus, «B. M. Virgini de Lledó» pie dedicatam ad gradum ac dignitatem Basilicae Minoris evehimus omniaque ei tradimus iura et privilegia quae ad cetera id genus templa pertinent, servatis tamen servandis ad normam Decreti «de titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII evulgati. Contrariis haud obstantibus. Has denique Litteras Nostras religiose observari suosque nunc et in posterum effectus habere iubemus. Ad occasionem vota etiam facimus, ut venerabilis Frater Segobricensis-Castellionensis modo memoratus, qui tantum contulit ad celeberrimum «B. M. Virginis de Lledó» templum eiusmodi honore honestandum, iusto tandem gaudio ipse omnium primus laetetur in exoptato eventu publice suis fidelibus declarando, ex quo quidem benefici fructus vel copiosiores manabunt; quorum auspicem Apostolicam Benedictionem impertimus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Martii, anno MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*